

28.

Viro Amplissimo DD. Nicol. Jacquinio Consiliario et
Professori s. pl. d. Car. von Linné Equ.

Pridie feбри intensa et ardenti correptus Tuas die
18. Septembr. accepi et ex hisce laetatus non potui eas non
pluries perlegere, licet valde aeger, non capio ubi literae
haesere tanto temporis intervallo.

Gratulor Tibi ex animo tam honorificum et proficuum
munus, quo poteris quotannis reportare sostrum 500 ducata-
torum, ego numquam ultra 150 ducatus habui.

Pervolvi pluries Tuum opus quam potui attentissime,
et mea Tuis correxi ubicumque potui. Errores si qui hinc
inde occurrere, non observavi, observavi tantum ad ea
quae augent scientiam, dudum enim in me ipso vidi quod
homo frustra laborat dare opus ab omni parte absolutum,
nec ipsa natura producit plantam absque omni naevo. unus-
quisque Botanicus non coactus tentat conferre quantum pot-
est, pro augmento scientiae, sic florebit Botanice. Apes
e floribus colligunt mel, vespaе venenum, ego lego et col-
ligo ex scriptis tantum quae mihi videntur conferre, colligant
alii errores, et rideant et vituperent quantum volunt,
certum et perenne evadat quod Tu contribuisti stupenda in
augmentum nostrae scientiae.

Iconem Scopoliae carniolicae cum maximo oblectamento
intueor; misit et eandem siccam optimus Scopoli, misit et
semina, quae serui in olla, et habui in mea Camara et
etiamnum habeo, sed dolore meo summo non germinant,
licet nulla hora intermisi ea observare, irrigare et cet. Nil
optarem magis hac planta viva, sed vereor frustra. Nulla
planta fuit, quae me magis ancipitem tenuit, quam haec
ipsa. Video in ea ipsam Belladonnam, caule licet breviorē,
pedunculis angustioribus, laevioribus, calycibus minus sec-
tis, sed in reliquis omnino eadem, ad pericarpium Capsula
circumscissa s. operculata Hyoscyami. Volebam eam dicere